

fundendus creditur cum *Frumentio* Apostolo Æthiopiæ à S. Athanasio misso; tribuendam Æthiopes arbitrantur; eisdemque pariter vindicat Martyrologium Abyssinorum, in quo Æthiopicis literis traditas ab ipso Scripturas legimus. Malunt alii (d) novem primis gentis illius Apostolis deputare; manentque in Libris Æthiopicis versus eam Versionem Æthiopicam ex Arabico indicantes. Sed Ludolpho ea sedet opinio, nimirum nomine *Librorum Sacrorum* designari tantum Constitutiones, & Canones Apostolorum, quas ex Arabicis Exemplaribus desumptas constat. Profectò si de Libris Scripturæ nomen illud usurparetur, testimonium Martyrologii deserendum credimus, cum S. Athanasii & Frumentii ætate nulli adhuc Arabici Bibliorum Codices noscerentur.

Consultum est igitur, si cum D. Abba-

te Renaudot (e), & D. Simone (f) versionem Æthiopicam nostræ ætatis derivatam statuamus; ex Coptica; quam cum ex Septuaginta desumptam constat, cur Græco respondeat Æthiopia nemo jure mirabitur. Scitum est sanè post subiectam jugo Mahometanico Ægyptum, Ecclesiam Æthiopicam in jus Ecclesie Coptorum in Ægypto concessisse & ab illa pariter Sacros Libros recepisse. Versio Æthiopica Psalmorum, cujus interdum sententias in medium adduximus, nihil habet observatione aliquâ majoris momenti dignum; neque aliâ de causa à nobis laudatur, quam ut certam statuamus quorundam locorum Septuaginta lectionem, simulque demonstremus, ita pariter lectum in Exemplaribus, è quibus expressa Versio Coptica sive Ægyptia, ex qua Æthiopia derivata est.

e Apud P. Le Long in *Ad. den. Biblio. Sac. pag. 666. f Hist. Critic. V. T. Gallicè.*

d Epist. PP. Societ. de an. 1607. 1608. 15. pag. 28.

EXERCITATIO IN POESIM UNIVERSAM, ET HEBRÆO- RUM POTISSIMUM

D. ABBATIS FLEURY.

D. Abbas Fleury hanc *Exercitationem* pluribus ab hinc annis scripsit, inserendam *Operi*, quod meditabatur, de *Poesi Veterum*. Eandem nobis, pro ea qua est comitate, participans operâ nostrâ publico tradendam concessit. *Nostram Sententiam de Poesi Hebræorum exposuimus in peculiari Dissertatione insertâ in hac nostra Collectione, ubi Dissertationes ad Exodum spectantes dedimus.*

Quemadmodum in rerum quibusdam articulis ad motus minime simplices facilesque, saltandi, cantandi, clamandi, naturâ urgente impelli solemus; ita pariter magnis quandoque passionibus agitati ad ea ciemur, quæ sedato mentis oculo intuitibus audacia in figuris & similitudinibus, insueta in sermone & exaggerata videntur. Quo verò impetu ad cantum movemur, eo pariter ad servandas certas in sermonibus rationes ducimur; ut scilicet observatâ dimensione syllabarum, harmoniæ & musicæ numeris facilius cantus fluat & commodior. Hinc versus, & cantilenarum rythmi, sicut & grandiora illa verba, audacioresque figuræ, quæ maximè in carminibus spectantur. Non est igitur cur vehementer miremur, si nulla unquam tempora, nullæ per Orbem gentes poeseos ignaræ, quemadmodum nec cantandi & saltandi reperiantur. Nec ipsi omnium confessione

barbaricis moribus incultissimi populi, eum à se cultum duxerunt alienum; quemadmodum olim in Gallis & Germanis Musicam & Poesim amantibus à Præcis observatum, & hodie pariter in Nigris, Caribus & Iroquis scitum est.

Cum Orientales omnium primi vitæ cultui expoliendo studuerint semper, & acri polleant ingenio, tum & passionibus agitentur plurimum, omnium primi insitam hanc naturâ propensionem ad artis regulas redigendam curarunt. Ægyptiorum, & Syrorum memoriam maximè in scriptis suis eâ in re servandam Græci censuerunt. Extat etiam inter Poetarum Græcorum carmen in obitu Adonidis [a], quod ab eo videtur expressum, cujus est in Ezechiele 8. 14. mentio; & Syram habet, quemadmodum & tota illa fabella, originem. Regnasse autem pariter apud eas gentes musicam, satis indicant Dei per eundem Prophetam cap. 26. 13. in Tyrios oracula, minitantis scilicet, omnia se & cantica & citharas suppressurum. Huc etiam spe-

a Theocrit. & Bion.

spectat illud Isaia 23. 16. Tyrias meretrices citharam pulsantes canentesque ad vias Urbis percurrendas invitantis.

Ad Ægyptios quod attinet, Musicam, quo nomine etiam Poesis designatur, jam inde à vetustissima ætate apud eas gentes obtinuisse, summoque semper studio cultam, veluti Religionis avitæ Legumque portionem, ex Platone de Legibus lib. 2. docemur. Tradit insuper, singula musicæ & chorearum genera numinibus quibusdam ab illis assignata fuisse, certis constitutis diebus & caeremoniis, quibus singula illa exercerentur; quod apud illos inviolatum erat, & sanctum aded, ut si quis innovare aliquid tentaret, à Sacerdotibus tam viris quam mulieribus imploratâ Magistratum ope prohiberetur, impietatisque notâ reliquo vitæ spatio inureretur, siquidem pervicacius obstitere.

Veterum omnium Orientalium scripta, unde aliquid de Poesi doceremur, omnia præterquam Hebræorum interciderunt; quare veteris apud eosdem Orientales Poesis unum restat Sacræ Scripturæ specimen. Ejus lectione intelligimus consecratam ab illis poesim usibus Religionis: & quamquam prophana apud illos carmina non deessent, colligendum tamen nobis arbitramur, easdem obtinuisse penes hosce populos quæ apud Ægyptios, leges, sive illæ in Ægyptum ex Hebræis derivatæ fuerint, sive ad utrosque ex eodem fonte deductæ. Paria philosophari licet de cæteris gentibus vetustissimæ originis; Græcorum enim Poesis maximum erat Religionis ejusdem gentis momentum, & in ipso sui exordio tanquam sacrum aliquid & Divinum suspiciebatur.

Quidquid Poeticum habetur in Sacra Scriptura, sive Cantica sunt, quibus variæ animi affectiones exprimuntur, vel sententiarum Collectiones, quibus instrumur. Prolixum vetustissimumque Carmen exhibet Liber Job, utriusque generis Poesim complectens, cum eò potissimum collimet; ut insinuet, viros quandoque probos exerce-re Deum, non ut puniat, sed ut probet probatosque coronet. Itaque fufus in eo constituuntur dogmata ad justitiam, & providentiam Divinam pertinentia, tum ad præmium virtutis & criminum poenam, ac tandem ad debitam iustionibus Divinis submissionem præstandam, & bonæ conscientie securitatem tuendam; neque hæc tantum, sed & vivida etiam tum malorum Job cum indignationis amicorum ipsius pictura exhibetur.

Salomonis Proverbia, sicuti & Psalmorum plures solas tantum moralis disciplinæ regulas præscribunt; cum vicissim sanior pars Psalmorum & Cantica omnia passim in Scriptura occurrence intimos animi affectus vel erga Deum vel erga homines præferant. Ad Deum pertinet majestatis ipsius admiratio, laudes, obsequium, pro acceptis beneficiis gratiarum relatio, implorata criminum venia, postulata quædam sive spiritus sive corporis commoda: quæ scilicet quatuor omnium semè illorum sacrorum carminum argu-

mentum complectuntur. Pingitur etiam dolor, gaudium, indignatio, ira, & aliæ quædam passiones, sive ad ipsum qui loquitur, sive ad alios homines sive pios sive impios pertinentes.

Porro tam pathetica poeseos ratio vividas plurimas figuras & expressiones exhibuisse credenda est; siquidem figurarum vis & stili non ampullosa granditas passionibus debetur. In eo igitur maxima spectatur Poesis Hebraica gravitas, & decor, ut nihil sit ejus generis, quod Lucubrations illas vel æquet vel superet. Nihil in illis nisi figuratum, & crebrò raptimque aliam alia figuram excipit; nec minus crebrò raptimque loquentium personæ aliæ aliis substituuntur.

Modò Propheta loquitur, statim Deus, dein vir justus, vel impius, sæpè pariter inanimata, veluti montes & flumina, vocem simul & sermonem usurpant. Quam expressis coloribus Deus majestatis depingitur, Cherubinis assidens, & nubibus vectus, qui uno oculorum suorum icu terram concutit, cujus furore ipsa montium fundamenta quatuntur, qui profundum abyssi intuetur. Crebras adhuc bene Sacri Vates similitudines, ex rebus maximè familiaribus iis, ad quos directæ carmina, deductas. Quid enim, maximè in Palæstina, familiarius, quam palmæ, cedri, leones, aquilæ? Non est igitur, cur nostris ideis comparationes illas metiamur, quæ certum de earum dignitate judicium feratur; neque id constituendum, quasi singula verba ad similitudinem referantur. Plerumque enim tota comparationis ratio ad unum tantum restringitur, reliquis, quæ adjiciuntur, omnibus non comparationi servientibus, sed rei, unde deducta similitudo, sub oculis exhibendæ. *Dentes tui sicut greges tonsarum, qua ascendunt de lavacro, omnes gemellis fuitibus, & steriles non est inter eas, i. e. dentes tui albo sunt decore micantes, equales & ordine continuato.*

Stilus adeo à prosa oratione abhorret, ut idioma planè diversum videatur. Quare si quis fortè tantum Hebraicas literas calluerit quantum ad historiam satis, post evolutam Genesim, cum benedictiones Jacob legerit, nihil profors assequitur; nihilque ex Libro Job, præter exordium & exitum, tenet.

Hujus rei in causa sunt voces aliæ planè in soluta, aliæ in adstricta oratione familiares, sicut & frequens metaphora atque audacior usus; Syntaxis etiam irregularitas, quæ verba plurima à legentibus supplenda refecantur. Est etiam stilus repetitionibus redundans, ut eadem geminatâ & diversâ verborum circumlocutione repetantur. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam; & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam (b).* In reliquis etiam ejusdem Psalmi eadem species. Id autem sibi præstandum ducebant, quod singuli conceptus commodius degustarentur, sive quòd Cantica duplici choro alternarentur, sive aliâ quadam ex causâ.

Quidquid tamen sit, repetitiones illæ aper-

b Ps. 50.

apertissimum & familiarem filii poetici characterem exhibent. Eo indicio sermonem Lamech cum utraque Uxore sua de occiso à se Cain pœticum agnosco; quod planè, siquidem vera opiner, omnium, quæ noverrimus, carmen vetustissimum habendum est. Qui eo verborum & figurarum apparatu panduntur conceptus, non ad veritatem tantum, gravitatem, & utilitatem compositi sunt; utpotè Spiritu Sancto afflante inspirati, sed nihil faciunt reliqui interdum ad elegantiam, & nitorem, sublimius nihil & exquisitius.

Illustre hujus exemplum præfert Ps. 138. scientiam Dei, quam nihil latet unquam, veluti sub oculis exhibens. In Ps. 18. Vir justus intimos animæ suæ aliorumque ad se attentum recessus scrutans, in medium adducitur. In 103. magnifica simul & jucunda de Natura, & quæ illam gubernat, Providentiâ Divinâ. Longus essem si cæteros hujus saporis omnes percurrerem. Nec temerè sacros Vates conceptus suos effuisse credas; cum potius maximo singula artificio disposita sint. Psalmus, & Carmen quodcumque lucubrationem exhibet absolutissimam, in qua suis partibus ordo, & naturalis contextus series. Interdum alter altero continuatur, ut Ps. 102. 103. 104. 105. 106. unius ejusdemque Carminis in gratiarum actionem concinnati portiones. Namque Ps. 102. Deum laudat pro bonis gratiæ acceptis, 103. pro bonis naturæ, 104. pro impetratis à Deo beneficiis, 105. implorat criminum suorum veniam, & ambo hi Psalmi unam historiæ seriem continuant, 106. grates Deo rependit omnium mortalium nomine pro collata ipsi ope in quatuor summis vitæ humanæ casibus, fame, captivitate, morbo, & naufragio. Speciale argumentum maximè prosequuntur Ps. 17. & 18. & 21. & 77. & 88. & 90. duo item Cantica Moysis, alterum nempe in Exodo post transfretationem Erythraei, alium in Deuteronomio paulò ante obitum ipsius.

In carminibus, quorum nullus nisi ad arbitrium ordo, utpotè quæ sive intimos passionum motus exprimerent, sive quæ morales aliquas regulas nullo inter se necessario vinculo connexas referrent; acrostichum artificium, nempe juxta seriem litterarum alphabeti, juvenatæ facillè memoriæ gratiâ, servatum est. Hujus sunt generis Lamentationes Jeremiæ, Ps. 33. & 98. aliique nonnulli, ac tandem Mulier illa fortis in exitu Libri Proverbiorum.

Nec prætereundum est, in Libro Proverbiorum, cæterisque Carminibus ad moralem facultatem pertinentibus, veluti in Ps. 1. & 14. & 36. aliisque pluribus, sicut & in maxima Libri Jobi parte parum quidem de pathetico, multum autem vicissim de metaphoris, similitudinibus, vividisque descriptionibus, unde nomen Parabolæ, Proverbia, Anigmata, derivatum est. Ejus filii obscuritas exercendis gratâ occupatione ingeniis tantummodo servit; sed altius penetranda sunt magnæ illæ veritates vividis simplicibusque imaginibus expressæ. Ita ego quidem de re totâ judicaverim;

Moysis pœsim robustiorem esse, & virilem, Salomonis verò dulcem, & comptam. Videat, si cui libuerit, quomodo variis Præfationis suæ in Proverbia locis varia mulierularum artificia, capiendis incautis adolescentibus, depingat. Nihil ibi desideratum, non igniculi amoris, non vincula, non spicula, quibus corda sauciantur, non alæ, quibus uti volatu quodam incauti amatores in retia ferantur; nihilque quod in profana pœsi molles spirat amores prætermisum est; eo tamen discrimine, quòd in illa turpes amores insinuantur, apud Salomonem verò absterrendis adolescentulis exprimuntur. Hæc argumenta, consilia, ideæ, figuræ, elocutio in Pœsi Hebræorum spectantur. Quanquam ad elocutionem, quod attinet, ejus judicium vix aliud quam qui Hebræicæ linguæ mysteria omnia habet explorata, ferre poterit; cum alii non nisi per oppanum Translationis velamen, respicientes, totam ejus elegantiam spectare oculis non possint; maximè in Psalmis duplici velamine obtectis. Vulgata enim illorum Versio ex alterâ Græcâ Septuaginta expressa est. Periculum ejusdem rei fiat in literali aliquâ Translatione locorum quorumlibet elegantissimorum, quæ apud Latinos Poetas occurrunt. Et quò melius comparatio deducatur, literis Gallicis tradantur Interpretationes Latina Poetarum Græcorum; statimque quàm differat ab Originali translatio illa, intelligemus; eodemque pariter judicio æstimanda erit elegantia Pœsis Hebræicæ, cujus saporem aliquem libant illi pariter, qui nonnisi Latinis literis traditam degustant.

Plures adhuc erant olim nec minoris momenti in eâ Pœsi gratiæ, quas nemo nostrâ ætate, ne Judæi quidem rerum suarum peritissimi, norunt. Cum enim, ut in cæteris linguis, quarum desit usus, contigit, ita pariter Hebræicæ linguæ vetus pronunciandi ratio intercederet, omnis quoque in verbis harmonia, in syllabis numerus, unde maxima carminibus gratia manet, inexplorata est. Desiderantur etiam regulæ, ut, sicut & in Græco & in Latino, certa syllabarum quantitas, nomina, & numerus pedum, versuum Syntaxis teneatur, quamquam omnia hæc servata fuisse ab Hebræis ignoraverit nemo. Spectantur enim in eorum carminibus adjectæ literæ vel refecata in fine dictionis, quibus mensuræ syllabarum serviretur; recurrit etiam sæpè vox *Sela*, quam vacuo cuidam spatio replendo positam crediderim. Tandem S. Hieronymus, veluti si exploratè nosset, de versibus Hebræicis ita loquitur, ut Libri Job versus hexametris comparet, Psalmorum, Lamentationum, Canticorum carminibus Horatii, Pindari, cæterisque Lyricorum Græcorum. Verum post S. Doctoris ætatem vetus metrica apud Judæos ars penitus intercedit, locusque novæ alteri, ex Arabibus desumptæ, datus est.

Nec minus latent, quæ ad Musicam & choreas, à carminibus Hebræorum nunquam divisas, pertinent. Non enim nisi ad cantandum versus pangebantur; quemadmodum ex ipso nomine *Sir* vel *Cantica*, & *Miz-*

mor, sive Psalmi, exprimitur. Ipsa pariter Ecclesiastica historia decantata quandoque carmina narrat, ut in transitu Maris rubri docemur; ac tandem idem planè demonstrant Psalmorum inscriptiones, nomina quorundam musicæ Præfectorum præfereutes. De ejus musicæ harmonia ex ipsa carminum elegantia, cæterisque quæ huc usque deduximus, non iniquum judicium ferendum est.

Junctas etiam cantilenis choreas quis nesciat? cum illi, quorum sæpè in Scriptura mentio, chori ex mulieribus virisque saltandi peritis constarent. Sermo est etiam in eadem Scriptura de choreis in publica aliqua solemnitate, ut puta prorelata victoria ipsisque etiam Religionis caremoniis, veluti in solemnibus Arcæ Fœderis in Sion translatione sub Davide, in dedicatione Jerusalem sub Nehemia, cum scilicet duo canentium chori alternatis modulis in mœnibus Urbis canentes, juncto deinde simul cœtu, in Templo cantarunt. Multa sunt igitur nobis de Pœsi Hebræorum incognita, cum nudam tantum litteram omnibus extrinsecis ornamentis destitutam spectemus. Alia profecò erat species carminis in ore Musicorum in ipsa solemnitate pompa. In medio Templi Salomonici & inter populorum turbas, aulas omnes & Templum opplentes, versari oporteret; statuendaque coram oculis Aravidimis onusta, candidâ Sacerdotum coronâ cincta, & paulò remotius Levitas in plures choros distributos, alios instrumentis, alios cantilenis, alios ad modestiam & gravitatem compositis choreis ludentes, aspiciere: horum, inquam, medium versari oporteret, quò decora illius Pœsis omnia explorata haberentur.

Nunquam apud Hebræos, quantum scimus, obtinuerunt Comœdiæ, Tragœdiæ, carmina Epica, neque aliud ejus Pœsis genus, quod Plato imitationis appellat. Canticum Salomonis, Dramatici carminis genus est, in quo variæ eloquentes personæ inducuntur. Idem & in Psalmis aliisque Pœticis Scripturæ Operibus, nullo excepto, spectatur. Ad hæc, Cantica non ferriam quandam rerum, sed intimos animi sensus exprimit; quod omnibus imitationis carminibus peculiare credimus: nihil poeticum in Scriptura, quod non Cantica sint, Psalmi, Odæ; quæ omnia jam inde à pristinis sæculis sola obtinuisse Plato testatur. Nec aliunde quidem accepisse Græci Dramatica carmina videntur; omnesque ejus generis Vates captivitate Babylonica recentiores sunt.

Psalterium Collectio est 150. Carminum variorum Scriptorum, & argumenti, quæ si quis animo minus advertens percurrerit, eadem semper se legisse crediderit; quò verò accuratè seriæque magis lectio, eò plura deprehenduntur & varia, novisque figuris ornata. Hæc porò varietas in optimis quibusque vetustis carminibus regnat; rarior est apud Recentiores, quorum plerumque Lucubrationes poetice morositate habent plurimum. Figuræ autem illæ vividæ quidem sunt, sed naturales: inter-

rogationes, apothrophæ, exclamationes.

Psalmi in quibus unquam regnat Scriptoris consilium, certam habent connexionque rerum ideam. Ita Ps. 17. quo gratiarum actiones Deo pro depulso hostium metu à Davide persolvuntur, primùm omnium Vatis ætumnas exhibet; continuò ad preces convertitur; tum exauditum se à Deo proficitur; provisumque cælitus dicit, ut imminens sibi malum depelleretur. Potestatem hic Dei, quæ naturam omnem concutit, poetis coloribus depingit. Actos deinde in fugam à Deo hostes, sequè à metu liberatum cantat. Cur verò hæc omnia? quòd iustitia & virtus David suo præmio donaretur. Verso tunc stilo, florentem iterum suarum statum, & super adversarios suos in ultimas calamitates redactos prostratosque victoriam Deo refert acceptam. Plura etiam deinceps sperat; ac tandem primas laudes resumens, similem exordio orationi epilogum imponit. Porò hæc omnia, eodemque ordine Psalmus completur; qua nulla aptior methodus, ut scilicet primò omnium oppressio exponatur, dein preces, tum impetratæ opis confessio; quamam illa? Nimirum devicti hostes, innocens relevatus, ipse non ab eorum oppressione tantum, sed & supra, illos evectus; paria mala in hostes ipsos conversa.

In Psalmis historicis narrationis series alia planè quàm in vulgatis historiis rexitur. Illustrata tantum facta & majoris momenti in medium adducuntur; & si quid occurrat ad genium Carminis, in eo sanè Poeta ingenium exercetur.

Josephi historia in Ps. 104. ita describitur. *Deus vocavit famem super terram, omne firmamentum panis contrivit; misit autem eos (filios Jacob de quibus egerat in superioribus) virum. In servum venundatus est Joseph. Grande hic Scriptoris ingenium, ipsum Dei consilium attingens, & nobili figuræ proprietate exponens in ipso narrationis limine licet spectare. Fami præcipit, & tanquam mortaliolum aliquem alloquitur Deus. Quæ de firmamento panis expressa sunt, nullâ vernaculi sermonis voce satis exæquaremus. Hic enim Scriptura, sicut & alibi, panem i. e. cibum comparat scipioni, cui senex innixus lassata membra sustentat; ut panem homini subducere perinde habeatur, ac senem, quo sustinetur; scipione privare. Quas verborum circumlocutiones refecans Scriptura, concisè & ad genium linguæ ait, famem omne panis firmamentum (scipionem) conterere.*

Exhibens deinde Psalmus Josephum ferro onustum, ejus in carcere moram pingit; tum versus ad Deum stilius, qui verbo & sapientiâ suâ donatum virum illum libertati restituit: *Misit, ait, Rex & liberavit eum, Princeps populorum, & dimisit eum; constituit eum Dominum domus suæ, & Principem omnium possessionis suæ; ut erudiret principes ejus sicut semetipsum, & senes ejus (viros Republicæ amplissimos) prudentiam doceret.* En tota Josephi historia, captivitas, liberatio, potentia data à Deo,